Confra[illegible]

Confr[illegible]

1669 18 Maii

Bieżanowski Stanisl. Jos: Filius accrescens Joseph.

FI

N

S.

C R

S

Pat

In a

M. S T

In O

FILIVS ACCRESCENS
JOSEPH
Nouo deuoti cultûs incremento adauctus;

SIVE

Inclyta Confraternitas
S. JOSEPH,

Cum primùm

CRACOVIÆ AD ÆDES

SS. MICHAELIS & IOSEPH,

Patrum Carmelitarum Discalceatorum

Ritu solenni, magnâq; celebritate introduceretur;

In argumentum publicæ lætitiæ, debitæq; pietatis.

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEZANOWSKI,
Lepol. P. D. C. M.

Obuio deuotæ gratulationis affectu,

EXCEPTA.

Anno Salutis 1669. Die 18. Martij.

CRACOVIÆ,
In Officina Stanislai Piotrkovvczyk, S.R.M. Typ.

FILIVS ACCRESCENS IOSEPH,

Ad Augmenta tua,

Nouo iterum gloriæ vocaris accessu,
dilecte præ cæteris Patri, semperq; in auge gratiæ,
Diuinissime IOSEPH.
Serius te quidem, pulcherrima Rachel Ecclesia peperit;
sed pulchrum facie, decorumque aspectu;
vt extremo sæculo natus, dilata senectutis gaudia, compensares fæcundius.
feruentior in orbe Christiano cultus tuus,
castos à Seraphica Virgine TERESSA, concepit ignes;
cuius ipsam etiam, in IOSEPH Prorege Ægypti vmbram,
incæstæ, Putipharis in domo, non adussere flammæ.
ita nec nasci, in figura tua voluisti;
nisi extremo Patris Senio;
nec renasci in animis, nisi casto seraphicæ Virginis partu.
Serus quidem inter Fratres,
inter Patriarchas nouissimus; omnium tamen summus,
semperque accrescens Filius.
Sedecim annorum puer, qui te præsignauerat,
inuidiam fratrum meruit;
Sedecimo post Christum natum sæculo,
nouam tu Confraternitatis gloriam;
recenti semper augmento, ex ipsa etiam cisterna sterili crescens.
Manipulum tuum consurgere,
dum alij senio mundi, incuruantur, opus est;
vt cultus tuus tantò calentior sit; quantò magis refrigescit charitas;
atque vt quos serò recepit;
suauius deosculetur fratres;
cadatq; super ceruices singulorum, serò agnitus IOSEPH.
Ergò progredere felix,
Desiderium collium æternorum.
Crescere te Dominus fecit, non iam in terra paupertatis tuæ;
sed vbi ipse, vno te Regni solio præcedit;
qui cùm, vniuersam tibi credidisset substantiam suam;
Sponsam etiam non exclusit.
Sub hoc annulo desponsationis tuæ;
Animas etiam CHRISTO desponsari opportuit.
Solicitò nimirum animarum salutis Oeconomo;
ad cuius Oeconomiam, ipse quoque Salvator mundi pertinuit.
Sub eius certè,

tunica

tunicâ polymitâ, vesteque talari,
nouam institui Sodalitatem, conuenientissimum fuerat;
quæ vt plures caperet, laxiùs se expandit.
Quin &,
stolas quoque byssinas, fratribus suis parauit;
facturus idem, nouissimæ Confraternitati suæ;
quod cum minimo olim BENIAMIN;
in stola, & partibus, abundantiùs cæteris factum.
Sed quis nouissimam dixerit?
cuius in principio VERBVM,
VERBIq; INCARNATI Mater, & vtriusque Custos,
Nutritiusq; IOSEPH.
Prima sunt hæc, & summa,
Albo Confraternitatis huius inscripta nomina;
primi in libro vitæ characteres;
IESVS, MARIA, IOSEPH.
Ab hac Sodalitate cœpit, omnis electorum Confraternitas;
cum de Filio DEI, quod olim de Ioseph, verum dici cœpit;
FRATER NOSTER, & CARO NOSTRA est.
Annos hic, & quadragenas Indulgentiarum, non requiras;
vbi continua æternitatis, indulgentia plenaria est,
Ad Priuilegia & prærogatiuas omnes,
vnicum hîc abundè sufficit,
Æternum diploma VERBVM;
in quo omnia, supra quod nihil.
Appendit hîc sigillum suum, qui septem signacula soluit;
Occisus ab origine mundi AGNVS;
ne fera pessima comedat, ne bestia deuoret IOSEBH;
& quos ille, in Cathalogum Vitæ,
Confraternitate suâ transscripsit.
O igitur felices Animæ!
quas huc, feruentior deuotionis spiritus egit.
Date nomina vestra securè illi;
cui nomen, quod est super omne nomen,
In VERBO INCARNATO, creditum est.
Nutritius hic, nutritoris omnium;
quanti valoris animæ, coram DEO sint; optimè nouit;
quas in capite electorum CHRISTO gestauit.
Dulce hoc, & pretiosum pondus, feret circumspectè;
ceu *speciosum præ filijs hominum* tulerat.
secura omnia, sub hoc Oeconomo;
ad quem vox illa;
Vade, & vide, an omnia sint prospera, erga fratres tuos.

Quidni

quidni id tutò ſperare liceat?
cuius Sponſæ, Dominus tecum;
de quo in IOSEPH figura, Dominus erat cum eo, dicitur,
Ecce Puer ille, manuductore IOSEPH;
qui proficiebat ætate, & ſapientiâ;
delicias cum filijs hominum habiturus,
ad hanc Confraternitatem deſcendit.
Adeſte paruuli, & humiles corde;
ſuper vos requieſcet ſpiritus eius;
qui vt, in familia Domini cenſeamini;
ad Magnum Patremfamilias,

Ite ad IOSEPH.

Franget ille panem eſurientibus; qui frumentum electorum ſeruauit;
dabitque guſtum deuotionis facile; cui omne delectamentum domi eſt.
prælibauit illud,
Seraphicæ Matris Tereſſæ guſtus;
tam ſapidus, tam ingens;
quàm magnum eſſe opportuit; qui primæuam Carmeli
auſteritatem dulcoraret.
huc te nouam hoſpitem, dum confers;
SACRA CONFRATERNITAS;
obuijs te vlnis, excipit CRACOVIA;
vt quibus cœli terræque geſtauit imperium;
depoſitam eius, excipiat vlnis coronam,
Diuinitatis Prorex in terris IOSEPH;
in quem, cum deuotio effloreſcat;
ex hoc felici, auctæ, in accreſcentem Filium, pietatis augurio,
Felicitas Regni non decreſcet.

nit ;
ni est.
A